



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

An possint ex natura peccare sicut ante. D

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

sed nec prorsus velle possint. Non possunt itaque boni angeli velle malum, vel velle esse miseri: neque hoc habent ex natura, sed ex gratia beneficio. Ante gratia nanque confirmationem potuerunt peccare angeli: & quidem etiam peccauerunt, & demones facti sunt. Vnde Augustinus. in lib. contra Maximin. Creaturarum natura caelestium mori potuit, quia peccare potuit. Nam angeli peccauerunt, & demones facti sunt: quorum diabolus est princeps: & qui non peccauerunt, peccare potuerunt: & cuiusque creaturae rationali praestatur, ut peccare non possit, non est hoc naturae propriae sed Dei gratia. Ideoque solus Deus est qui gratia cuiusquam, sed natura sua non potuit nec potest nec poterit peccare. Ecce hic insinuarunt, quod angeli ante confirmationem peccare potuerunt, sed post confirmationem non possunt. Quod potuerunt fuit eis ex libero arbitrio, quod est eis naturale: quod vero modo non possunt peccare non est eis ex natura, id est, libero arbitrio sed ex gratia, ex qua gratia etiam est, ut ipsum liberum arbitrium iam non possit peccato seruire.

Quod post confirmationem angeli non possint ex natura peccare sicut ante: non quod debilitatum sit eorum liberum arbitrium sed confirmatum. D

Non ergo post confirmationem angeli de natura sicut ante peccare potuerunt: non quod liberum arbitrium eorum debilitatum sit per gratiam, sed ita potius confirmatum, ut iam per illud non possit bonus angelus peccare quia vult non est ex lib. arbit. sed ex gratia Dei. Quod ergo Hier. ait, Cetera cum sint liberi arbitri, possunt flecti in utraque partem: accipi oportet secundum statum in quo creata sunt. Talis enim & homo & angelus creatus est, qui ad utrumque flecti poterat: sed postea boni angeli ita per gratiam sunt confirmati, ut peccare non possint: & mali ita in vitio obdurati, ut bene vivere

neque

*Lib. 3. cap.
12 ad finem
tomo 6.*

Hier. ad finem tractat de filio prodigo ad Damna.

Isid. lib. de summo bono.

nequeant. Similiter etiam illud Isidori intelligendum est, Angeli mutabiles sunt natura: immutabiles sunt gratia: quia ex natura in primordio sua conditionis mutari potuerunt ad bonum siue ad malum: sed post per gratiam, ita bono addicti sunt, ut inde mutari nequeant. Ad hoc enim repugnat gratia non natura.

*Quod angeli mali viuacem sensum non perdididerunt,
& quibus modis sciant.*

*Lib. de summo bono. 1.
Cap. 12. post medium.*

Lib. 2. super Gen. ad litteram c. 17. in fin. Tom. 3.

Et licet mali angeli ita per malitiam sint obdurati, viuaci tamen sensu non sunt penitus priuati. Nam ut tradit Isidorus, triplici acumine scientiæ vigent demones: scilicet subtilitate naturæ, experiētiā temporum, reuelatione supernorum spirituum. De hoc etiam Aug. ait, Spir. mali quædam verâ de temporalibus rebus noscere permittuntur: partim subtilitate sensus, partim experiētiâ temporum callidiores propter tam magnam longitudinem vitæ: partim sanctis angelis, quod ipsi ab omnipotenti Deo discunt iussu eius sibi reuelantibus. Aliquando iidem nefandi spiritus, & quæ facturi sunt velut diuinando prædicunt.

Quod magica artes virtute & scientia diaboli valent: quæ virtus & scientia est ei data à Deo vel ad fallendum malos, vel ad monendum, vel exercendum bonos.

Cap. 7. in principio.

Quorum scientiâ atque virtute etiam magicæ artes exercentur: quibus tamen, non tam scientiâ quam potestas à Deo data est, vel ad fallendum fallaces, vel ad monendum fideles, vel ad exercendam probandamque iustorum patientiâ. Vnde Aug. in lib. 3. de Trin. Video, inquit, infirmæ cogitationi quid possit occurrere: cur scilicet ista miracula etiam magicis artibus fiant. Nam & magi Pharaonis serpentes fecerunt, & alia. Sed illud est amplius admirandum, quomodo magorum potētia, quæ serpentes facere potuit, vbi ad muscas minutissimas, scilicet